Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8132
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



in libro de viribus cordis tacuit. H. de sincopi

Melancolia vinum curare quia omnis
cura a contrario perficitur. prima aforismorum
et 3o tegni. Nam est canon omnibus communis
contraria contrariis curari. Vinum vero ut
in capitulo de febribus diximus, per suam complexionem
contrarium est humori melancolico. Est enim
melancolia sicca et frigida. Unde ab eius
humore distrasiato. aut ab aliis humoribus
in ipsam per viam adustionis. aut male diete,
deductis qualitercumque fit. In cor et caput
fumi nigri, mali et silvestres, elevantur.
qui et vitales et animales spiritus terrent.
Et quia galienus ait. capitulo septimo tercii
interiorum. et in fine quinti de accidente et morbo.
Sicut enim exteriores tenebre, plurimum
adducunt hominibus terrorem. sic color colere
nigre. idest melancolie. ad mentis locum superve-
niens. generat timorem et terrorem. Quod ypocrates
particula sexta aforismorum perstrinxit. Quando ait.
Si timor et pusillanimitas multum habeant
tempus. habentem melancolicum perficiunt. Et cum
ut dixit averrois sexto colliget. Vinum a
tota specie resistit melancolie. Et avicenna prima
tercii complexio caliditatis et humiditatis que est in vino.
contraria est frigiditatis et siccitatis complexioni. que
est in melancolico humore. Preterea cum vinum
letos. iocundos. et hylares. cum hoc audaces

aglia sic. et fri.